



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Incendiariis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**



Rapinam committentes, five sint Laïci, five Clerici, à Prælato loci, ubi deliquerunt, *c. 1. 3. qu. 6. c. placuit. in 2. 6. qu. 3. c. placuit. fin. c. de foro comp.* hoc jure, excommunicantur, aliisque pœnis coërcentur; nisi ablata restituant, vel de restituendo caveant: *c. super eo. c. excommunicationi. hic.* si nolint, nec pœniteant, Ecclesiastica sepultura ipsis denegatur. *c. 2. de raptor.*

Possunt & flagellis castigari, & ultimo supplicio: sed ab aliis quàm Ecclesiasticis iudicibus damnati. *c. in Archiepiscopatu. eod. l. capitalium. 28. §. famosos. §. grassatores. ff. de pœn. l. per omnes. C. de defens. civit. l. provinciarum. C. de feriis.*

Si in deprædando occidantur, pro eis non oratur. *c. 2. de furtis.* quia præsumuntur in mortali peccato mortui; pro qualibus non oratur. *c. placuit. 23. qu. 5. c. pro dilectione. 95. de pœnit. dist. 2.*

### De incendiariis.

#### T I T. X X V.

**R**apinam etiam intelliguntur committere, qui ex incendio, vel naufragio, res rapiunt. *c. 3. de raptor.*

Qui verò datâ operâ, ex odio, vel vindicta ignem ad conflagranda ædificia apponunt, vel apponi faciunt, incendiarii dicuntur; non quorum negligentia incendii fomitem præbet. *c. pessimam. 23. qu. 8.*

Incendiarii, ut & qui illis consilium, vel auxilium scienter præstiterunt, hoc jure, si Laïci, excommunicantur: nec nisi, prius damno pro ratione facultatum suarum resarcito, jurent, se ulterius ignem non apposituros, absolventur; Episcopus vel Archiepiscopus, qui eo non præstito absolvit, per annum ab Episcopali officio, districtione Canonica, abstinere compellitur: *d. c. pessimam. 23. qu. 8. c. indignè. 12. qu. 5. c. quisquis. 17. qu. 3.* Si Clerici; pro iudicis arbitrio, habitâ damni, loci, & doli, ratione, puniuntur. Cum nulla specialis pœna eis infligenda



genda Canonibus sit statuta. *Diaz. in prax. vers. incendiarii. Quomodo verò jure Civili incendiarii puniantur, vid. Aphorism. nost. in ff. tit. de incend. ruin. nauis.*

### De Sacrilegio.

#### TIT. XXVI.

**S**acrilegium est, quotiens quis sacrum violat, aut auferendo sacrum de sacro; vel sacrum de non sacro; vel non sacrum de sacro. *c. si quis contumax. & c. quisquis. 17. qu. 4. Contra l. Divus. ff. ad Leg. lul. pecul.*

Committitur vel *in rebus*, vel *in personis Ecclesiasticis*.

*In rebus*; ut Ecclesiam infringendo, vel quippiam circa eam intra triginta passus diripiendo, vel inde auferendo, aut injuriam inferendo, prædia Ecclesiastica invadendo, venando. *c. quisquis. 17. qu. 4. c. prædia. 12. qu. 2. c. definiuit. 17. qu. 4.*

*In personis*, manus violentas, Clericis, vel aliis personis Ecclesiasticis injiciendo, pulsando, vinciendo, verberando, aliâque injuriâ afficiendo. *c. si quis suadente Diabolo. c. quisquis. & c. si quis. 17. qu. 4.*

*In personis*, aut earum vestibus, *Gloss. in d. c. si quis suadente. Innoc. in c. nuper. de sent. excomm.* commissum, excommunicatione majore punitur; à qua non nisi à Pontifice absolutio concedi potest. *d. c. si quis suadente.*

*In rebus* commissum, variè, prò modo sceleris admissi facinorisve perpetrati, nisi satisfactum sit, aut de satisfaciendo plena securitas data, punitur: nunc enim sacrilego beneficium pœnitentiæ penitus denegatur, nunc anathemate vincitur, *Dd. in c. conquestus. de foro comp. & c. conquesti. de sent. excom. c. si quis contumax. 17. qu. 4.* nunc perpetua damnatus infamia carceri traditur, aut exilio perpetuæ deportationis & depositionis animadversione coercetur, *c. attendendum. 17. qu. 4. c. prædia. & c. quicumque. 12. qu. 2.* aliquando & pecuniaria pœna mulctatur. *d. c. si quis contumax.*

Hæc